HARVARD
MEDICAL LIBRARY

IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/tractatiodemiran00huld

TRACTATIO
De
MIRANDIS NATVRÆ FONTIBVS
EX QVIBVS
Ambrosinum Humanæ Sustentationis Nectar
HAVRITVR
illorum ORIGINE
DVCTIBVS & reliquis, tam in excessu quam defectu
existentibus
QVALITATIBVS
publici juri facta
à

PHILIPPO LIB. AB HVLDEN
Phil. & Medicin. Doct. Serenissimæ Aulæ Würtembergicæ
Consiliario.

JENÆ
Apud IOHANNEM BIELKIVM, Bibliop.

Anno clɔ Iɔc XCVII.

Præ-Nobili atque Excellentissimo

EBERHARDO GOEKELIO

Philosoph. ac Medicinæ Doctori Clarissimo,

Serenissimæ Domus VVeiltingo-VVürtenbergensis ad Corpus & Aulam Medico Primario

Diversorumque S. R. Imperii Statuum

ut & Inclytissimæ Reipublicæ Vlmensis Physico ordinario

nec non

Collegii Leopoldino-Curiosi Collegæ, Alectori cognominato meritissimo,

Domino Socero, Patrono, Amicoque suo, singulari observantia ac amoris cultu summè devenerando

Tractatio dicata,

& filiali obsequio dedicata,

ac oblata sit sequens.

Præ-Nobilis atque Excellentissime
V I R
Socer, Patrone ac Amice observantissime

Amicorum quævis communia esse ex hâc occasione antevertere haut potui, quin de gaudio & conjugii solatio Teipsum à Deo benignè concesso participem facerem: Amicus noster longè expectatus, magis vero ut Amicus filiolus noster recens natus, ligamenta matricalia, quibus inclusus tenebatur effregit, & suffragantibus reliquis puerperii mediis summo cum adstantium

applauſu filius primogenitus gremium obſtetricis die 16. Auguſti hujus 1693. anni manè poſt auditam horam octavam primo adimplevit, ſuſpiriis poſtea lætabundis parentum corda exhilaravit demum lavacro ex decoctis herbis ablutus, faſciis molliter involutus, nimis parentum traditus, modo cunis ſanus, pinguis & benè in omnibus membris formatus, reſervatur;

Excelleutisſime Vir, Patronorum Amicorumque omnium ocelle, nonne hæc ſint amicis intimis Parentibus nimirum noſtris ſummè devenerandis citò imò citius quam citisſimè communicanda obſequium filiale exegit: nec ulterius procraſtinavimus, ſed 18. illius menſis die Deo filium noſtrum dicavimus ut legitimè baptizaretur, curavimus; Serenisſimas Perſonas ad hoc ſpirituale munus ſubeundum tam Olsnenſes quam VVeiltingenſes cum aliis reliquis elegimus, deinde in Sacro loco filius dilectisſimus noſter liquore Baptiſmi candidisſimo

mo ablutus, simul hoc nomine Sylvius Ferdinandus dotatus fuit: Serenissimæ prædictæ Personæ legaliter absentes quidem fuêre per deputatos tamen comparuerunt:

Quod statum puerperii concernit Herculeo labore suavissima mea consors filiolum nostrum enixa fuit & quidem destinati legali tempore nimirum præterlapsis exactè 40. septimanis & sex diebus, nunc doloribus post partum aliquo modo exagitata melius se habere propinatis, nec dicam eatis cœpit lactationem quod attinet, papillæ in principio non adeo fuerunt accommodatæ, qualis defectus indifferenter quasvis verò matres vexat verum artificio & manuductione obstetricis propter rimas papillarum nunc lacte copioso & bene consistibili nutritur, & lactatur uberrime intercipientibus tamen in dorso doloribus, sed quid faciendum?

Tempore, tempera, tempora.

Quæ etiam huic impedimento finem addere valent;

Insuper pauca quæ de lacte muliebri Socer Amantisime hâc occasione Tibi, quæ materia quidem ampla, multisque difficultatibus ac controversiis in foro Medico adhuc involuta, nondum adhuc plenariè, enodata, annexi, æqui, bonique consulendo Tibi Excellentisime Vir tuæque censuræ submissa in bonam partem explicentur, hac annexa obligatione votoque, dum sanguinis stilla in venis, sic etiam Honori Tuo à Cœlo quæcunque fausta stillabunt, tamdiu domus Tua floreat fœcundari valeat & fulgeat usque dum vitæ

Tuæ erit Finis.



Q. F. F. S.

§. 1.

SI quis ex universo succum illum naturæ nutritium indagare desideret, certò profundissimum deliberationis oceanum intraret; Universa enim natura lacte aut humore saltem lacti maximè analogo nutritur, ac adeò ei familiare est hoc nutrimentum, quod si tollas & ipsa ruet, ablata nimirum causa conservante ut nervosè Clarissimus D. GREISEL in proœmio lactis infert.

§. 2. Sic quoque DEVS & natura quam prudentissimè præ- & providerunt, lac in substantia sua primum esse producens, & producto demum alimentum optimum, & quidem simplex, sufficiens tamen atque perfectissimum, suppeditare.

§. 3. Vniversali hâc vice considerando, nimirum omnia ex mente Aristot. l. 3. Histor. animal. c. 20. quæ suaptè natura humido in corpore sunt, conceptaculis quibusdam, tanquam vasculis continentur, ut sanguis in venis, medulla in Ossibus, alia in membranis aut cutibus ac ventribus, sepositò, ad speciale quid nos accingamus, ac certum organon corporis humani, illiusque actionem obeundam in medium, nimirum mammas mulierum ex quibus ambro-

sinum humanæ sustentationis nectar hauritur, producamus, insimulque facultatem, quæ ad debitam hujus organi constitutionem pertinet, una cum defectibus perquiramus.

§. 4. Mammæ itaque ad differentiam mammillarum, quæ viris attribuuntur, quas Aulus Gellius l. 12. Noct. Attic. c. 2. fontes sanctissimos & humani generis educatores blandissimos vocat, ex moderna anatomiæ observatione, constant è copiosis magnitudine diversis glandulis, variis tubulis & ductibus inter se coeuntibus multaque affusa pinguedine junctis & compactis, quæ simul membrana carnosa succinguntur & subjectis musculis annectuntur, in medio harum glandularum una magna sita est, quam reliquæ glandulæ quasi satellites circumdant, intercipiunturque vasorum lacteorum plexus infiniti; his glandulis mediantibus quibus non solùm succus lacteus ad omnes defertur, verum etiam minores circumjacentes suum lac in magnam glandulam effundunt: insuper in his glandulis pori ampli & copiosi inveniuntur, in quibus tanquam in cellulis lac ad suctionis tempus reservatur, nisi forte ob nimiam copiam, aut tenuitatem ex iis sponte effluat.

§. 5. Glandulæ istæ magnæ superjacet corpusculum teres & fungosum, quod papilla appellatur, penis glandi respondens, unde flaccescens erigi potest ex suctione, ex contactu, ex levi quoque contrectatione voluptas percipitur, ex dura vero dolor, exquisitum enim habet sensum: in hanc papillam lactei ductus terminantur, adeò tamen subtiliter, ut setam vix admittant.

§. 6. Præter vasa, uti in omnibus ferè aliis partibus quadruplicia inveniuntur, quorum accuratum specificationem annectere superfluum duco, & hoc solùm attingo,

ex

ex recentiorum diligentia tubuli certi, lactei dicti, detecti sunt, qui glandulis mammarum interjecti plurimi cernuntur, ab inferiore parte toto ambitu enati in mammarum centro cocuntes, in quibus lac confectum ad usum servatur, quo cessante in minorem exilitatem arctantur, ut visum ferè fugiant, unde evenit, quod à pauciſſimis fuère observati: quorum tamen fundamentum absente etiam lacte, oblito rutaque glanduloso ubere per omnes ætatis gradus superstes manere, id quod Veslinus affirmat, similiter quoque Barthol. in Anatom. reformata observavit, sic Diemerbroc. & alii.

§. 7. Hippocrates quidem, alias præ modo recensitis vias demonstrare intendit, quando de natura pueri ita text. 21. statuit, pingvissimum de cibis & potius foras prosiliit in amentum & carnem, & inde in mammas: Idem ibid. text. 22. dum mammæ, inquit, lactant, & exsuguntur, venulæ in mammis ampliores fiunt, ampliores deinde factæ, à ventre pinguedinem trahentes, in mammas distribuunt.

§. 8. Veslingus insuper cum alis chylum quoque ad mammas partim ex ventre, partim pancreate deferri observârunt, qualem quamplurimi cœteri sententiam fovent, qui mammarum tubulis seu venis lacteis continuatos censent, peculiares à ventre & pancreate imprimis ductus.

§. 9. Via itaque Hippocratis nimis ampla & per devia tendens esset, idque magis hanc deductionem lactis in brutis ita, quam in homine inveniri, nam secundum illius opionem vasa hæc diaphragma prius perforare, deinde pleuram, postea musculos intercostales, demum serratos & pectorales deberent.

§. 10. Plempius tamen in fundam. Med. l. 2. c. 64. in tantum Hippocratis ductum proximiori tamen semita in-

cedens approbat, dum dicit, noſtra hâc tempeſtate Hippocratis illa doctrina vera comperitur (nimirum ob inventum nuper novum ductum chyliferum in pectus ſcandentem, usque ad venas ſubclavias à qua regione ramuli chyliferi proferuntur ad mammas, & hac ita verum viſu in ſectionibus) non tamen in quibuscunque ſubjectis invenitur, id quod Excellentis ſ. internæ machinæ ſcrutator D. BARTHOL. de lact. thorac. c. 18. ubi quoque de his viis agit, confirmat, ſic ſcribens: nihil promptius quam per lacteas thoracicas novas rem hanc controverſam componere, quando hunc chylificandi modum penitius inſpicimus; in plano eſt, & in theatris anatomicis quoque ipſe conſpexi, quod cum cibus in ventriculo in chylum, elaboratus & per orficium inferius pylorum namque ad inteſtina tenuia; primò quidem ad duodenum propellatur, ubi hæc ciborum digeſtio continuatur, & ulterius rarior perficitur, ut chylus magis laudabilis evadat, idque fit mediante ſucco pancreatico & bile, hi duo liquores cum noviter advecto chylo interiorem ineunt fermentationem, concurrentibus hiſce duobus liquoribus magis ſubtiliſatur; qui enim antea in ventriculo erat craſſus & minus fluxilis, in hâc inteſtini parte verò nunc fluidior ac ſubtilis etiam coloris magis albicantis factus, demum abſoluta hâc fermentatione, partes chyli laudabiliores ac ſubtiles à partibus heterogeneis craſſioribus ſeparantur, priores videlicet verſus inteſtinum jejunum & vaſa lactea, à quibus chylus poſtmodum excipitur, protruduntur, & per ea ad glandulam meſenterii maximam dictam defertur, & ex hâc ad ductum thoracicum, qui venæ ſubcluviæ inſeritur, denique in medias mammas derivari, indeque variis ad lac in papillis deducendum ramulis prius diſperſis, de qua via Charlet. Exerc. de Galax. pag. 52. Fuſius ſcribit; & ulterius con-

concludendo inducit, quod ex hac ductu deorsum etiam ad uterum certi ramusculi descendant ex quibus internis fontibus nutriatur fœtus, quos ductus D. van Horn. specialiter observasse tradit, cum quo etiam Diemorbrocc. convenit.

§. 11. Quomodo autem succus ille chylosus & subtilisatus procedat, nec in illis viis remaneat, provida natura motum & sic certam à diaphragmate aliisque ventris musculorum in respiratione compressionem ordinavit, ut ventriculus & intestina commoverentur, ac proinde materiam in illis contentam ejiciant & expellant, crassiores nimirum ad anum subtiliores vero per foramina, quæ intestinorum membranis occurrunt, nimirum orificia & extremitates lactearum venarum, unde postmodum ad ramos subclavios deferuntur.

§. 12. Hinc inde quoque Diemorbrocc. cit. loco duas observationes, quod per hæc vasa materia lactifera ad mammas ascendat, annexit, nimirum quando fortiter lac ab infante attrahatur, lactantes in illo loco nimirum dorsi regione circa scapulas dolorem molestum percipiant, qui dolor etiam usque ad lumbos se extendere potens sit.

§. 13. Quamvis autem magna adhuc contentio de hâc thesi, quæ videlicet sint illæ viæ per quas ex intestinis chylus recipiatur, conserveturque; dum duabus sententiis antea inhæserunt: prior & antiquissima, quæ chylum per venas meseraicas ad hepar derivavit, & illi sangvificandi munus attribuit; altera priori contradicens, non hepati sed vasis lymphaticis per mesenterium excurrentibus officium chylum distribuendi assignavit; quæ vasa à secundario illorum usu exinde lactea dicta, per quæ demum, ut omni tempore lymphâ fertur, ita stato tempore, & lymphâ hâc post

paſtum nimirum chylum lacteum vehere, quotidiana anatomes perluſtratio teſtatur. Ex his duobus tertia nunc pro conciliatione duarum occaſione ex diſſidio priorum data, opinio enata, nimirum quod experientia hoc cum eodem tempore quo vaſa illa lactea cognominata turgent, demum per venas meſeraicas cum ſanguine chylum fugi, edocuerit: ſententia utrique quidem adſtipulatur de via, id tamen inter quæ utrosq; controverſum, quod per alterutra ſolum tollit, & per utraque vehit, viſu & ſenſibus credibile videtur.

§. 14. Occurrunt interea pro neutra acceptanda ſequentes objectiones (1) quod vaſa hæc quæ lactea vocantur, non propria huic contento, ſed primario uſu lymphatica eſſe, unusquisque qui anatomiæ invigilavit, ſufficienter probare valet (2) glandulam illam meſenterii centralem in brutis, & lumbares in homine ad quas vaſa hæc colligantur, chyli, cuique præparationi vel elaborationi dicata eſſe luce meridiana ex ſequentibus præprimis rationibus eluceſcit (1) quia chylus ille tum temporis à cruditatibus aqueo-Salinoſis nondum liber, itaque huic negotio ineptus eſt; (2) quia ex glandulis illis eodem colore & ſubſtantia, qua in lactis conſpicuus erat, in ductum thoracicum effudi deprehenditur (3) ad easdem alia quoque & omni tempore cum maximè nullus in lacteis videtur chylus, vaſa lymphatica tendunt, & per illos lympham ſuam unà cum illa, quæ ex inteſtinorum ſanguine per dicta lactea extra tempus paſtus redundat, extra ductum thoraicum continuò tranſfundunt; ulterius (4) potuerit inverti, quod eodem tempore quo per vaſa lactea albeſcit chylus in ſanguine venoſo per V. S. emiſſo inde deprehenditur, & denique cui hoc fatale accedit, quod in volatilibus lactea hæc, & quæ ipſis cohærent, nuſpiam compareant, ideò quia lis ſub judice præ

tertia

tertia ſententia, priori tamen non in totum rejecta, poſteriorem ut mediam agnoſcamus.

§. 15. Monſtrata nunc generali via, exquiſitior nunc deſideratur, an venæ vel arteriæ hunc liquorem materiam lactis ſuppeditantem mammis communicent? à parte venarum maximè dubitatur, legibus enim circulationis ominò contrarium, ideò per arterias transmiſſionem fieri ſtatuendum eſſet, & quidem per arteriam mammariam internam ſic dictam, præprimis quia hæc arteria per interiorem ſterni partem fertur, & ramulos exiles ad mammas pro nutritione liquores transmittendos ſpargit, id quod Valuerda l. 6. c. 11. anal. oſtendit; Arteria inquit, ſub clavia ſub oſſa ſterni decliva fertur, & juxta mucronatam pecteris cartolaginem profilit, inque rectum abdominis maſculum exhauritur: Sic quoque Laurentius anal. l. 6. quæſt. 7. de his viis non incongruè ſentit; Vena, inquit, mammaria propagatur à ramo cavæ aſcendentis, quem ſub claviam vocant, & per internam ſterni partem triangularem muſculum fertur, monſtrante ſimiliter Dreilincurtio, mammas ne minimum quidem attingens, niſi fortaſſis capillari & ferè inſenſili ramo, ideo non rectè mamariam vocari hanc arteriam, quia mammæ venas habent ampliſſimas, quæ à thorace derivantur; itaque (citra præjudicium aliorum) non benè ſentiunt, qui ab externa via à ramo axillari viam ducunt, quia hæc vaſa in partem externam ſeu cutaneam tantùm diſperguntur ea propter intus canales emittere haut poſſunt.

§. 16. Præſuppoſitis his viis Proſper. Mart. lib. de natur. pueri, dubium infert ſequens, dum mentionem de aromatarii cujusdam uxore Pamphilia dicta, facit, quæ caprini lactis copiam, quam, nimirum 6. libras hauſerat, intra horæ

ſpa-

ſpatium eandem quantitatem in mammis illorum reddidit, ſi ergò hoc in omnibus procederet, tunc impoſſibile ſit, ut tàm cito lac per vaſa lactea ad lumbare receptaculum, ex hoc per ductum Thoracicum ad cordis ventriculum dextrum, ex hoc iterum per ramum ſubclavium ad glandulas & tubulos mammarum, papillarumque tranſire potuiſſet. Forſitan autem quando lac illud caprinum frigidè epotum fuit, ut ſenſum aliquem frigoris & tenſionis ob id, quaſi ſtatim in mammas deſcenderet, percepiſſet, quod plerumque lactantibus à potu frigido ex conſenſu partium, quæ in confinio ſunt, accidere ſolet, eo ipſo quoque cum antea magna in mammis lactis copia reſervata fuiſſet, ex falſo ſuppoſito poſtea idem lac caprinum procedere ante adducta mulier putaverit; nullis quoque aliis circumſtantiis illuſtratur, ductus illi ad mammas nec infringi, multo minus ex hoc caſu in dubium vocari poſſint.

§. 17. Ex meliori tamen demonſtratione hoc annectendum, quod purgantium vel aliorum ſumptorum qualitas & color quidem aliquid communicari poſſit, extra dubium eſt, eo ipſo enim, quando nutrix purgantibus evacuatur, etiam lactatus aliquid de qualitate purgante participet, ſimiliter quando cum croco ab obſtetrice largiter condita fercula comeduntur, etiam lac teſtante Charlet. non ſolum odorem & ſaporem, ſimul quoque colorem communicet; id quod in Livonia ipſe expertus, ubi magna abſinthii vulgaris copia invenitur, lac vaccinum de illa herba non ſolum redolere & ſic ſaporem amarum forſitan ex ſalis volatilis oleoſi abundantia communicare, quando iſta herba copioſe ingeratur, id quod in carnibus ſimiles qualitates producit; quid multa? Floribus enim exiſtentibus, nonne æſtatis tempore butyrum majore croci tinctura

ctura imprægnata apparet? præsupposito tamen hoc, quod legitimè concoctio & digestio commestorum præcedat.

§. 18. Ductu nunc per arterias liquoris noto, necessario quoque succus nervosus requiratur necesse sit, quem etiam quamplurimi addunt, quamvis in nervis nulla ferè cavitas reperiatur, tamen in plano est, quod ex sententia Nedhamii, aliquid spirituosi concurrere, ideo quia profusio lactis parum aut nihil ferè nervosũ genus debilitare, alias fieri non posset, si tantum spirituum animalium dispendium ad lactis massam constituendam, requireretur; pari ratione cum in arteriis subtilissimus ille chylificatus liquor transeat, & quidem in copia tempore lactationis, ideoque arteriæ ex magnitudine ob certam expansionem intumescere, & sic mammæ ex glandulis adimpletis magis exaltari videantur; quamvis autem raræ lactantium vel ante vel post eorum tempus inspectiones pro accuratione informatione producantur, tamen Diemerbroccius hoc fieri posse præsumtivè concludit, inferens, quod glandulæ lacte tumentes nonnihil arteriarum fines comprimant, ita ut liquor ille eas influens non tàm liberè & citò ut extra lactationem solet, ex iis effluere & circulari possit, unde tunc paulo majore copia detentus eas plus solito tumidiusculas apparere facit.

§. 19. Gressum, recognitis viis ulterius faciamus ad hoc, ex qua materia lac provisione natura conficiatur; Sic (1) quidam sanguinem pro lactis materia ex hoc principio evidenter probare nituntur, & quidem hac persuasione leviter inducti, quod attractione lactati vel compressione mammarum sanguis lactis loco effluat, sanguinem non promanaturum putantes, nisi materia lactis esset, & consequenter dum demum ex adhibito medicamento sanguinem sistente, absque ullo alimento assumto, sanguinis affluxus

sistatur, & lac ejus loco sequatur: Verum sanguis multo minus è lactantium pupillis exiens ut lactis materia sic dijudicare possit, sanguis enim iste è vasculis pupillæ sanguiferis extractus, vel si illæ occasionaliter alio casu vulneratæ inveniantur solummodo ex læsione pupillarum ob dolorem maximum minuere lac, consolidatis vero vasis, lac iterum fluere posse cernitur:

§. 20. Si autem hoc fundamentum firmum maneret, Deus bone! cum sanguis ad materiam lactis veniat, sanè puerpera lactans vitam longe ducere non valeret; id quod sequenti modo demonstrabo: si puerpera posito lactis libras quinque per diem emitteret, si ergo sanguis materia esset, tunc ad octiduum 40. libræ vix satis fuissent, si itaque tantummodo puerpera 2. sanguinis libras emitteret, non sine insigni jactura hoc procedat virium, ne dicam an possibile sit tertiam partem sic computatam educere? Vlterius procedamus, si tanta copia in mammis ad lac perficiendum sanguinis qualis quantitas quæso ad totum corpus conservandum requiratur; cum tamen ad proportionis lactis elaborandæ & emittendæ in toto corpore humano vix ea quantitas inveniatur: in quibusdam enim individuis puerperii ea qualitas aspicitur, ut non solum ex copia lactis duo infantes commodè nutriri possint, sed quoque defluvio lactis in interstitio quando infantes non lactantur adeo patiuntur, ut indusia, stragulæ, lodices de lactis puerperæ abundantia madefactæ reperiantur; quale exemplum Weinrich. de monstris suppeditat de puerpera Breslavienſi, quæ quotidie XII. libras lactis fudit, esto ergo judicium! & fiat computatio lactis cum sanguine ut prima materia, quamdiu illa ad hoc præsuppositum in vivis fuisset; id quod etiam in certis provinciis vaccæ tantæ ubertatis in lactando testantur, cum quæque illarum tam in

Hollandia quam Helvetia una die 80. 15. plus minus lactis effundant;

§. 21. Sicque pari modo illarum tota massa sanguinea quantitate lactis non responderet; ex sequentibus apparet, (1) quod impossibile sit, tantam lactis copiam, quantam lactantes quotidie (ut deductum) effundunt, ex perfecto sanguine generari posse. (2) Si lac ex perfecto sanguine generetur, non posset non virium dejectio subsequi. Videmus enim, si per venæsectionem cui una tantum libra detrahatur, quanta virium diminutione patiantur? Sic lippis & tonsoribus notum, quod ex modica duntaxat seminis excretione universum corpus debilitetur. (3) Si lac ex sanguine perfecto fieret, utique imperfectus fieri deberet; sic frustra facta fuisset prima perfectio, si iterum recrudescere deberet, & consequenter ordo & providentia natura everteretur, quamvis objiciatur lactis copiam statim à sumto potu augeri, quis tamen sibi & aliis persuaserit tam brevi tempore ex potu sanguinem perfectum fieri, huncque demum subitò in lac commutari posse? cum evidens ratio hoc demonstret, quod ad sanguinem conficiendum saltem mora aliqua requiratur; quippe ratione circulationis aliquoties cor transire necesse habeat, priusquam perfectionem sibi vendicet; Ex quibus manifestum lac ex sanguine perfecto nullatenus fieri posse, hoc tamen concedendum; quod lac, si aliquid de sanguine participet, non nisi ex serosioribus partibus in mammas attractis constet, scilicet cum ex imperfecto sanguine, sive chylo potalento paululum tantum immutato confiat, liquet in mammis id adhuc magis fuisse alterutum, ita ut per ulteriorem concoctionem in verum & rubrum sanguinem non difficulter commutari possit, labile & fallax de materia ex sanguine lactis hoc principium.

§. 22. Imo alii in pejus trahuntur, qui lactis materiam menſtruum ſanguinem eſſe ſtatuunt, cujus opinionis Ariſtot. & permulti reliqui numerantur, & quidem eam ob cauſam, quoniam lactantibus utplurimum menſes deficere ſolent, & per conſequentiam quibus menſes amplius non fluunt, apud eas etiam neque lac generari, Autoritatem ulteriorem ex Hippocrate petentes, qui Aphoris. 39. ſect. 5. ſequens infert, argumentum. Si mulier quæ neque gravida eſt, nec peperit, lac habet, ei menſtrua deficere neceſſe eſt: neque Galenus ab opinione Hippocratis longe recedit dum lib. de venæſect. adv. Eriſtr. c. 5. aſſerit. Vna & lactis & menſtruorum ſubſtantia eſt, amborumque ut quisquam dixerit rivorum fontes communes venæ ſunt: hoc tamen Hippocratis & Galeni judicium quod attinet, in tantum concedendum eſſet, menſtrua in quibusdam retenta partes quidem ipſas ad lactis generationem disponere aliquo modo poſſe, verum illa non ſunt in omnibus cauſa & materia principalis; inductio enim ſimplex eſſet, quibus menſes ſuppreſſi, ilicò lac demum gigneretur, neceſſe ſit.

§. 23. Ad hæc diſtinguendum puto inter affectum morbi præternaturalem, & inter diſpoſitionem naturæ, à qua generaliter aliquid fit vel producitur: pro teſtibus ex contrario omni exceptione majoribus in medium producam Schenk. obſervat. 147. 149. l. 4. Roder. à Caſtro de natura mulierum c. 10. vidimus ait, fœminas, quæ quantumvis infantes prægrandes lactarent, menſtrua tamen toto lactationis tempore ordinata copioſa habebant, nec id ſemel ſed quoties pariebant: ex his unanimiter concludendum non omnibus lactantibus menſes deficere, quod verò interdum lactantibus menſes deſint, non ideò ſentiendum, quod menſtrua lactis materia eſſent, tanta enim copia lactis ex defectu menſtrui multò minus provenire poſſet. §. 24.

§. 24. Si tamen huic sententiæ à quibusdam subscribatur, tunc non alia ratio, si sanguis menstruus materia lactis esset, quod solummodo quovis mense, prout menstrua fluere solent, lac quoque una vice profluere deberet; contrarium enim demonstrant ipsæ vetulæ, quibus tamdiu menstrua defecere, lac tamen copiosum præbuerunt, quarum exemplum D. Heinr. ab Heers observ. 14. adducit, ne dicam de viris in novo orbe de quibus Scriptores tradunt, plurimos lacte refertos invenire, id quod etiam in brutis masculi generis videndum; de quo Aristotel. suo tempore: id quoque in Suecia oculis ipse meis in œconomia Serenissimi cujusdam, vidisse atteſtari possum! quod hircus inventus fuerit, qui lac præbuit ex quo caseus factus fuit: insuper habuit fœtum masculum & in illo quoque illud factum est; Ex his satis liquet, quam levi etiam hæc opinio innitatur fundamento.

§. 25. Qualis autem vera & immediata lactis materia sit, tunc chylum in medium producamus, huic suppositio tamen quæstio statim opponitur an mera transcolatione opus lactationis efficiatur sive non? in antecessum quidem verum ac unicuique notum est, in diversis glandularum generibus, succum quoque diversum sapore & similibus elaborari qualitatibus, adeò ut in quolibet eorum transcolatum peculiarem alterationem subeat; sic in mammis pariter, idem fieri consentaneum erat, cum ratione substantiæ coloris & saporis lac aliquo modo à chylo differat, chylus enim præ se levem fert salsedinem, lacte verò humano vix dulcius quid gustatur; lac quoque ad album colorem inclinat, & aliquo modo crassius conspicitur, & quamvis Diemerbroccius illud mammis proprium & quasi connatum esse, simulque in acido combinante mammisque inhærente, statuat; reliqui tamen anatomici inter quos D. Bohnius contrarium sustinent;

nent; hoc tamen erit attendendum; fermentum lactificum ab Utero per imprægnationem mammis denuò inſpirari, ex eo enim liquet, ſtatim circa medios geſtationis menſes lac in mammis obſervari, quod aliquam ſalſedinem ſecum ferat, quia fermenti genitalis maxima pars adhuc in utero circa perfectionem & nutritionem fœtus occupata, quo demum excluſo lac perfectam ſuam dulcedinem ſortitur.

§. 26. Quo & quali autem modo lac generetur inter alia attractio hujus motus vel ſuctio veram cauſam aſſignat, calor tamen multum quoque adſtruit: certum enim quod quod lac gravidis naſcatur non aliunde eſt, quam quod illis corpus plus ſolito caleat, & quidem ſecundum naturam; talis enim caloris abundantia neceſſaria eſt, ad fœtus perfectionem, ab hac autem cauſa uti totum corpus, ita quoque mammæ facilè incaleſcere, atque eo modo lac generari poteſt; cujus cauſæ nimirum ſuctionis ad lac generandum exemplum ſpeciale è Salmuth. obſerv. 92. de Virgine quadam in medium producam, quæ infantem, cujus curam agebat, mammis frequenter adhibitis lactavit, & hoc non ſolum in virginibus, ſed quoque in viris à contrectatione vel ſuctione frequenti fieri, in hoc tamen ſuppoſito à particulari ad univerſale conſequentia non valet, quia in tot centum vel mille ſubjectis utriusque ſpeciei hæc ſuctio pro lacte attrahendo etiam in fœminis actualiter non lactantibus non procedat.

§ 27. Quamvis vero Diemorbroc. hanc annectere cauſam ad hæc nimirum intentam & crebram lactandi imaginationem adjungat, primariam tamen cauſam ſi imaginatio aliquid efficere valeret, eſſe, non procedit eò quod bruta animantia fœtus ſui pro lacte adducendo nullam rationem nullumque conſequenter affectum imaginationis haberent,

berent, multò minus eæ mulieres, quæ se gravidas esse minimè putant, vel penitus ignorant, de hoc affectu imaginationis aliquid participare possint.

§. 28. At quid de meretricibus statuendum? quæ contrariam viam intendunt, & potius de repellendo imò penitùs expellendo fœtu & consequenter minimè de lactis desiderio sint solicitæ: insuper fallibilem de lacte acquirendo imaginationem impugnat, matrum quarundam longe maximum desiderium quidem, sufficientia tamen lactis ad prolem nutriendum non gaudentium; ideò thesis hæc in universalitate non firmo quoque nititur talo: Hoc tamen magis concedendum, quando imaginationi consensus genituræ virilis accedat, tunc non solum uterus certo quodam contagio afficiatur, sed quoque mammæ instrumenta lactifera evadant; ad quod Hippocrates quoque de natura pueri text. 21. reflectit, dum quando, quod edulcoratum, inquit, à caliditate quæ ab uteris accessit expressum venit ad mammas: Sic quoque quod uteri affinitatem infringit, etiam illud lac destruit.

§. 24. De cætero non est diffitendum, quod imaginatio prægnantium magnam vim in fœtum habeat, mediante qua (1) tam portentosa in fœtu & ab humana natura alienæ mutationes inducantur, simulque (2) pathemata, quibus prægnantes afficiuntur extraordinarios affectus per imaginationem producere maximè potentia sint, ad primum quidem in plano est, qualis embryonum metamorphoses natura malè dispositа producat, de quibus theatra anatomica exempla hinc inde suppeditant, adeò ut in locum bonæ conformationis ferini vultus & artus existant, vel duplicatio corporum in uno solido efformetur; ad secundum cum e. g. quoties gravida adeò capitali quempiam pro-

profequatur, is vi pathematis continuò phantaſiæ ſiſtitur, alteq; adeò ejus imago cerebro imprimitur, ut nullo modo aboliri nequeat, qua de cauſa vehemens illa de hoſte cogitatio, quæ impreſſionem in cerebro & ſpirituum motionem ſequitur, fortis imaginatio eſt, ſic quoque fœtus propter validam impreſſionem ita conſtitutus exiſtere poteſt, ut à quacunque levi cauſa producta odium & calorem erga alios excitare inclinet.

§. 30. Ex hiſce ordinatim adductis qualis ſit immediata materia lactis apertum eſt, lac multo minus à ſanguine ſimpliciter generari, niſi ex liquore illo albo & dulci ſucco chyloſo adjunctis maſſæ ſanguineæ partibus ſeroſioribus beneficio glandularum mammariarum confecto; id quod Denſinus, Charleton & alii recentiores adprobant; licet aliorum opinio in leve dubium adhuc vocetur, ſtatuentes, quod chyli portiones illæ per vaſa lactea vel his ſimilia, nondum tamen in omnibus cognita deferantur; brevitas tamen, cui inhio ut plura de materia lactis addam, prolixiora non permittit.

§. 31. Sic pedem ultro moveo ac vitiis lactis aliquantisper ut inhæream propoſui. Impedimenta lactis, qualia enumerantur tribus vitium inducunt modis

(1) quando deficit
(2) abundat.
(3) depravatur.

Defectus cum in culpa (1) quando in ventre paucus vel nullus elaboratur chylus, tunc cor ex penuria alimenti pro magis neceſſario corporis alimento præparando aliis partibus ſubducit, id quod præprimis à chylificationis cauſis diverſimode læſis evenit. e. g. in febricantibus. Deinde nimium ſudantibus (2) quando acriori ſanguinis fœ-

fermentatione materia lactis absumitur: (3) quibus immensius luachia fluxerunt: (4) quæ parum aut nihil comedunt, vel (5) fame nimia præmuntur, ac quoq; & hoc (6) quando puerperæ ob inopinatum quendam casum fortuitum, valde contristantur, vel ob alia animi pathemata, quæ motum spirituum minuunt & influxu horum inhibito tubuli concidunt, ut materia lactis non tam liberè influere possit.

§. 52. (2) quoque lac deficit, quando glandularum poruli & tubuli lactiferi minus angusti, aut penitus obstruuntur vel indurantur ut materia lactis eos transire non possit, hæc autem angustia mulierculis quibusdam & naturalis & congenita, de quibus Hippocrat. l. 1. de natura mulier. Sic inquit, Mulieres quæ natura solidiores sunt, & densas carnes habent, ad lactationem minus aptæ sunt: è diverso de natura pueri Cous noster ait, raræ carnis mulieres citius pinguioris illius succi persultationem ad mammas percipiunt: Similiter quoque ætas senilis glandulas exarescere facit, & tubulos subsidere, aliquando glandulæ hæ & tubuli ut partes recipientes comprimuntur, ab omnis generis tumoribus, seu sunt à lacte coagulato seu ab alia quacunque peccante materia, inflammationes cancrum, sciurumque producente, adeo ut glandulæ ipsæ aliquando saxeam duritiem assumant; ad hæc fermentum ipsum lactificum, quod mammis per imprægnationem inspirari debet vel plane deesse vel inefficax aut corruptum fieri, ut mammarum glandulæ & tubuli per hoc non satis expanderentur, ut materiam lactis recipere capaces sint: non minus vulnera & ulcera mammarum hujus quoque sunt causæ defectus dum continuitatem tubulorum lactiferorum tollunt, item cicatrices ex horum consolidatione ortæ.

§. 33. Similiter frigore nimio mammæ harumque tubuli & glandulæ contrahuntur, vel etiam quando mulierculæ

plus formæ quam sanitati studeant, & sic arctiore thoracis constrictione corporis gracilitatem inducere intendunt, quo tubulorum & glandularum ampliatio interdicitur.

§. 34. Et hæc est causa, quare nostrates puerperæ tàm raro lactare propriasinfantes possint, quoniam in juventute nimis adstringendo & comprimendo mammas lactis proventum impediunt; Adhæc etiam contribuit hæc detestanda consuetudo quando externis admotis mammarum augmentum & turgescentiam sub pubertatis annis e. g. alumine de, quibus Sylv. l. 3. c. 10. legatur, impediunt; Aut etiam quando mediis gestationis mensibus dum mammæ ibidem augeri incipiunt, similibus earundem incrementum coercent;

§. 35. Denique quoque lactatione neglecta deficit in quamplurimis lac, quando glandulæ obliterantur, ut lac amplius per eas effluere non possit, seu hujus causa non sufficiens infantis suctio, seu vitium in papillis sit, quando hæ nimis carni intrusæ, seu quando rimæ vel fissuræ in iis, quæ tantos sæpe cruciatus mulierculis afferunt, quantos & ipse partus, referente, ipsa mea dilectissima consorte, quæ papillis intrusis & postea rimatis maximè vexata & cruciata fuit, qui dolores demum applicato ad sugendum filiolo nostro magis exasperabantur; in defectu autem lactis, cum papillæ quidem proeminentes appareant, tunc suctione gravi interdum infantum sanguinem purum lactis loco emanare, observatum fuit; Sin autem magna lactis copia adsit, plerumque puerperæ prius catellos aut alios infantes robustiores mammis admovent, ut lactis in antecessum certa portio exsugatur.

§. 36. Quod curam illius defectus attinet, tunc interne cibis congestis & multum chylum suppeditantibus restauratur, qualem juscula, carnes animalium juniorum vitelli ovorum suppeditant &c. Item foeniculum maximè

est

est appropriatum, præprimis quando summitates illius ita crudè comedunt, vel decoctum ex eo conficiunt, vel quoque lacti immittunt & pro potu adhibent; huic accedit anisum cujus semen vel confectio maximè ad lac promovendum conducit; Adhæc oleum tam fœniculi internè & externè præprimis posteriore modo quando oleo lumbricor ♆str. maritatur egregias vires prodit, quod Lang. miscell. pag. 46. magni facit; Certum quoq; appropriatum flor. Sambuci exsiccati in lacte decocti præbent, cum hâc tamen cautela ex Clarissimo Medicæ Facultatis Oraculo D. Ettmulleri deprompta, ne nimirum horum sambucinorum flor. exsiccatorum ultra Mj. una vice coquatur, rationem addens, vidi inquit, aliquando quod hi flores copiosius in lacte cocti, & à muliere adsumti lac equidem ejus augmentârint, sed & nutricem ac fœtum insigniter purgaverint; id quod cum interdum minus consultum, propterea in minori sumantur quantitate. Item ad defectum conducit semen levistici, cui addi possunt passulæ minores, sic quoque convenit oryza aut hordeum excorticatum contusum & in lacte pultis instar coctum, quod pulmentum condiendum aromatibus calefacientibus Cinamomo, galanga, caryophill. &c. Hildæus Paduanus ad generandum lac sequens præscribit. ℞. lumbri cor ♆str. q. v. coquantur in s. q. brodii fœniculi.

§. 37. Pro lacte deperdito ex tristitia sequentia præscribenda (1) ut patiens se quovis modo exhilaret, (2) per sennæ aliquo modo laxata deinde singulis diebus in aurora per lumbricor ♆str. ppt. in decocto liquiritiæ summitat, fœnicul. exhibitus à ℈ij & (3) mammæ ol. lumbricor. ♆str. inungantur, his per aliquot dies adhibitis remediis optima quoque victus ratione servata lac copiose defluit.

§. 38. Si verò appetitus proſtratus à Medico rationali deprehendatur tunc pro cauſarum varietate reſtitui debet, ideò medicamenta ſimul appetitum ſtabilientia præſcribat, quando verò defectus hujus febris ſeu fermentatio ſanguinis acrior in culpa eſt, quæ lactis materiam abſumit, prodeſſe poſſent, quæ fermentum iſtud ſanguinis acrius temperant, & quodammodo dulcificant, ut ſunt Cryſtall. mont. quos valde prædicant; quamvis Mynſicht. in Armament. ſuo tanquam ſpeciale ſecretum ſpecies ſuas diacryſtalli commendat, verum magis ampla & in concinna videtur illa compoſitio, in locum hujus rotulæ illius lac provocantes deſcriptæ ſubſtituantur, quæ ſatis officio ſuo fungi videntur.

§. 39. Si autem mammæ & earum tubuli ac glandulæ in cauſa ſolùm eſſent, externa benè conveniunt, & partim emollientia partim irritantia, nimirum ex decoctis ſimplicium appropriatorum cum emollientibus miſtorum v. g. ex fœniculo, malva flor. Sambuc. meliloti & ſimilibus, ſunt etiam qui commendant fermentum cum farina hordei mammis applicatum, cui addi poſſunt herb. Chamomill. Hofmannus in clav. pag. 564. laudibus extollit decoctum menthæ crebrius mammis applicatum, cui ſi pro ſtimulatione opus eſt parum ſal gemmæ & nitri addi poſſet; verum externa hæc quamprimum frigefacta removenda ſunt, quo facto mammæ moderatè pannis calidis fricentur, ut probè incaleſcant, & ita mediante ſpirituum uberiori affluxu vaſa aperiantur & expandantur.

§. 40. Inſuper & hoc in defectu lactis notandum, quod Thomas Jordanus tract. 3. c. 9. de Patavinis lactantibus ſpecialiter annotavit: Hoc certo ſcio inquit, & Patavii

res

res est frequentissima; mulieres plebeculas lactantes cum primum lac amiserint, à pharmacopolis corticem avellanæ in hunc usum à medulla excavatum & foramine angusto fabrefactum argento vivo plenum sibi ipsis emere, obturato cera orificio, & collo appendere ut lac restituatur, quod ipsis ex voto succedit: Et quanquam istæ tanquam superstitiosæ putent argentum hoc fascinationibus prodesse, quæ animo concipiunt amissum lac ob fascinationem fuisse deperditum, ego tamen (ulterius Jordanus prosequitur) aliter sentio, qui cum videam hydrargyrum vaporosam in se habere substantiam, & usque adeo tenuium esse partium, ut non modo in penitiores quasque partes se insinuare possit, verum etiam tophaceos tumores dissolvat, atque digerat, animo concipio, ideò prodesse deficienti lacti, quod valeat crassum sanguinem fundere & attenuare, qui propter sui crassitiem & lentorem venas mammarum ac glandulas ingredi non poterat: atque ideò tantam videmus in hoc vapore efficaciam ut qui argento vivo ad inargentanda speccula frequenter utantur, magna ex parte tremuli, paralytici, stupidi ac veternosi evadant, gingivas habeant exesas, dentes erosos non minus, quam illi qui inunguntur, ut à lue venerea vindicentur, hæc Thomas Jordanus.

§. 42. Quod lactis redundantiam attinet, ita ut plus debito luxuriet lac, dum non tantummodo sufficiat nutriendo fœtui, sed præterea etiam sponte effluat; origo ejus est vel materiæ copia in subjectis sanis & salubribus, vel mammarum laxitas mollitiesque ac spongiositas glandularum in mammis, à quibus uberior lactis copia emulgetur & transcolatur, quo & accidit ipse fœtus robustior & famelicus fortius exsugens lac, ac proinde ejus retundantiam per accidens procurans; ea propter in abundantia lactis nu-

trices dolorem compreſſivum & intenſum in dorſo percipiunt, qui dolores vel puncturæ dorſuales robuſtiores & ſaniores prægnantes mediis geſtationis menſibus infeſtant.

§. 43. Quod curam abundantiæ lactis concernit & quidem ratione nutricis diæta ſit tenuis modica & parca, ne à copioſiore ciborum ingeſtione copioſus chylus elaboretur: De cœtero remediis tàm internis quam externis huic incommodo ſubveniendum: Internè conveniunt, quæ alias ſemen extingventia dicuntur, ſemen agni caſti, nitrum, ſacharum Saturni, Myrrha, Ruta, rosmarinus, Cherefolium, Coriandrum, Crocus, item amara abſinth. centaur. minus &c. quidam etiam Camphoram hic referunt, quia gonorrhææ & pollutioni nocturnæ convenit; ſed cavendum, quia ſecundum Borell. l. 2. Obſerv. 91. abortum promovet, uteri vigorem turbando, ideò ex ſupra citatis ut expertis multifariæ præſcribi poſſunt formulæ. e. g. ℞. Sal. ☾ l. lapid. prunell. ʒj. Myrrh. Sachar. ♄n. à. ʒß Croc. orient. gr. iij. M. pro primo, pro 3. vel 4. doſibus, poteſt quoque unum vel alterum granum laud. opiati adjici. Externè hic conveniunt leniter adſtringentia & reſolventia, ut decoctum Cumini, Coriandri in ♆, vel in ♆ & vini ā. ne nimis adſtringat vel cumini pulvis in forma cataplaſmatis c. ♆; Item cicuta & mentha contuſa calidè impoſita, vel ex iis paratum decoctum c. ▽ ferrario rumparum ☉nis vel quod melius ſalis ☾ poſſet addi, quæ ſimul lactis coagulationem & glandularum indurationem prohibent, vel etiam ex hoc decocto utantur cataplaſmate ex farina fabarum c. oxycrato ſ. ▽ & aceto quod egregie conducit, item ſuccus plantag. mammis applicatus: domeſticum quoque hoc remedium maximè conducit, nimirum papyrus gryſeus das graue

Leſch-

Lesch-Pappier melle virgineo illitus, mammis quoqe applicatus lac minuit; alii etiam speciali hoc sympathetico utuntur, nimirum ♋ fluviatilibus calcinatis sacculo lineo inclusis, & mammis applicatis.

§. 44. Si verò mulieres lactare nolunt, timentes tamen ne ex lactis præsentia in mammis aliquid nocumenti ipsis superveniat, utantur cataplasmate ex mica panis pulvere menthæ aceto & sale commixto, quo Timæus usus, nec in conveniens Hoeferi emplastrum, quod sequens est. ℞. Ceræ alba ceræ flav. Pingved. Gallin. Axung. cervin. ā ʒß M. & colliquatis adde Camphoræ, Myrrh. asci fœtid. ā ʒß Croci ℈j f. l. a. Emplastrum? quo tingantur lintea in formam mammarum adaptata, deinde ut papillæ perforatæ commodè exeant, sicque gestantur per 6. septimanas obstetrices aliquæ statim post partum, quando lac fluere incipit mammis herbam imponunt, Alsine, germano idiomate Mäußegedärm vocatam, quam contusam & calidè sæpius appositam, lac restinguunt, & de mammis reprimunt.

§. 45. Curiositatis tamen gratia quædam mulieres, ne maritis post puerperium mammas flaccidas offerant, & sic illum ab antecedenti desiderio deterreant, magis vero ut imposterum amatoribus haut displiceant, hinc & inde mammas duriores reddendas anxiè quærunt, quibus quoque lascivæ personæ ut sese pro immaculatis vendant, remediis utuntur, sic quædam recipiunt ▽ pini viridis per alemic. destill. ut aqua hæc vesperi mammæ laventur; cum hâc cautela ut sponte exsiccentur, quæ ▽ mirè laudatur; Aliæ decocto Alchymillæ specialem fidem attribuunt, ut illud pro lotu calidè mammis applicetur cum additione matricariæ; Aliis remedium usuale est decoctum gallitrichi seu Scarleæ mammis applicatum arridet.

§. 24.

§. 46. Et si superiori hoc illecebrarum genere non erant satis contentæ delicatulæ ut & libidinosæ mulieres vel quoque per coitum deploratæ virgines artificialem vulvæ constrictionem sibi comparare studeant; sic primatum sequens obtinet decoctum ex rad. sympholi majoris, vel balneum ex illa herba confectum, mirè enim virginalia adstringit, adhæc alumen conducit, si vaginæ uteri immittatur. Sequens quoque fomentum à quibusdam externè applicatum maximè laudatur. ℞. fol. querc. plantag. ā Mj. rad. Consolid. maj. ℥ij. Gallav. Contusar. ʒj. Alumin. Cortos. ʒß. coquantur in ▽ simpl. decoctum hoc per laryngem immittatur in uteri vaginam, vel eodem decocto spongia vel linteolum imprægnatum externè applicatur; pari modo in istiusmodi decocto rob. acaciæ rostra bis dissolvi posse eò melius conducit; non minori laude deprædicatur ad hoc artificium fraudulentum Alchymilla, cujus decoctum vaporetenus in vaginam susceptum insigniter sinum pudoris angustat.

§. 47. Inter superstitiosas muliercularum medicationes & hæc de lacte reprimendo adnumeranda, eò inductæ, cum mus lac nutricis gustaverit, eò ipso lac etiam diminui id quod pari modo inter magnetica referendum si mulier de suo lacte parum super carbones ignitos, vel ignem excernat, sic enim evenit ut lac exsiccetur teste Helmontio. Per hoc ego quoque inductus, quod substantiam lactis eò facilius hoc magneticum inflammet, de quibus Digby copiosius scripsit, exemplumque de vaccis lactiferis in medium produxit, nimirum sympathetica via statim calorem illum lac emulctum in igne conceptum per atomos ad substantiam lactis penetrare, & ita calorem caloris addere, eoque magis accendere, id quod in aliis experien-

perientia edoctus fui. Verum sequens consultius esset, si post ablactionem lac adhuc restans in mammis dolorem pariet, ut mulier in sacculo crystallum suspendat, & succinum in regione dorsi appositum sit, eo modo lac absumitur, & per alvum educitur. Quædam obstetrices mammas oblinunt melle, aliæ linteum aceto intinctum, in quo prius ebullierat crocus hortulanus, commodè applicant: Sunt aliæ, quæ prohibent lactis generationem in mammis cum unguento populneo, aut panno lineo succo menthæ imbuto. Matronæ, ut Forestus l. 17. observ. 20. scribit, Venetæ lactis proventum inhibent à partu, Emplastro ex melle, croco & terebinth. confecto & mammis impositio cum hac cautela, ut eo tempore nec jusculà sumant, neque vinum bibant, multo minus tenue. Obstetrices Delpheuses lac in puerperis in hunc modum exsiccant, puerperis nimirum pannum lineum oleo raparum intinctum undique mammis imponunt, aliumque pannum linteum melle illinitum primo panno superimponunt, interim sub parte inferiore incipiendo mammas debite constringunt, ut minus propendeant.

§. 48. Quod lactis depravationem concernit, quomodo illa corrigenda veniat, tunc aquosum & non bonum nutritu lac illud per aromata & leniter sudorifera corrigitur; ad quod corrigendum specialiter meæ pilulæ sanctiores conducunt, præprimis theriaca quoque, in hoc accidente diæta specialis observanda, nimirum ut cibi paulo solidiores sumantur. Si lac salsum reperiatur, tunc per emollientia & acredinem corrigentia emendetur & demulceatur, ut sunt decoctum hordei, Chinæ, Altheæ, Sarsæparillæ, vel ex passulis minoribus, rasur. C. C. quæ dilectissimæ meæ quoque commendavi. Aciditas verò lactis corrigi-

tur per ſalia volatilia & ⊡ſa, & illum acorem abſorbentia, quæ lactis coagulationem impediunt, coagulatumque reſolvunt. Ad hæc ſymptomata conducunt ℞. ▽ fœnicul. ʒij. aniſi ʒj. ▽ theriacal. ſimpl. ʒß. Cryſtall. montan. ppt. Antimon. diaphor. ā. 3ß. ſpir. ⊖. armon. ℈j. ol. ſtill. Mac. gt. iij. l. iiij. ſyir. fœnic. ʒß. M. pro miſtura cochleatim ſumenda. Vel ℞. antimon. diaphor. 3ß. ſal. volat. C. C. ℈ß. Elæoſacch. Saſafr. gr. viij. l. x. M. f. l. a. pulv. pro ʒ. doſib. vel ſolus ſpir. ⊖*. à gr. xv. ad ℈j. poteſt quoq; hic prodeſſe ⊖ volat. ℅ſum Sylv.

§. 49. Lactis coagulationem quod attinet, tunc vitium illud vel à mœrore, vel à terrore gravi, præprimis verò à quocunque acido procedit; in lacte enim plerumque copioſum acidum reperitur. Acorem hunc & per conſequens coagulationem lacti inducunt, quæ alterationi vel aliquali corruptioni occaſionem ſuppeditant; hinc lac ſubito aceſcit, ſi poſt ſudorem mammæ ſubito aëri frigido exponantur, vel per edulia & potulenta acidum inducatur, hoc facto mammæ vel ſtatim rubeſcunt, & ſic deinceps pulſare incipiunt, vel febris ac tumor durus ſupervenit, aut ad ſcirrhum promovetur, & denique doloroſiſſima efferveſcentia ſuppuratur. Quamprimum autem pathemata hæc perſentiuntur, tunc lac quod in mammis eſt, quoad poſſibile, emulgeri debet, & quod medicamentis eſt reſolutum & discuſſum iterum tentando in quantum poſſit, emulgeatur.

§. 50. Ad hoc internè conducunt diaphoretica & reſolventia, e quibus palmam ſperma ceti deportat, illud enim grumos quoscunque reſolvit, hinc oculi ♋, imprimis ſi myrrhæ paululum iis addatur; pulvis quoq; millepedum ſive aſellorum mira præſtat, ſi à 3ß. ad ʒj. crebrius ſumatur; porro è regno vegetabili ſemen fœnicul. cumini, Crocus, ſalvia, mentha, cherefolium, maximè conducunt. Externè ſola-

men

men procreant rad. petroſelini in forma cataplaſmatis mammis impoſita. Sic emplaſtrum de ſpermate ceti Mynſichti egregium eſt, hæc tamen cautela in eo obſervanda, quod magis coagulationem lactis præſervet, quam coagulatum lac reſolvat; ſi verò aliquid de gumm. ammoniac. in ℞ ſoluto, vel diachylon ſimpl. aut compoſitum addatur, majorem effectum in reſolvendo lacte & ſanguine coagulato habebit. Aliàs etiam mentha contuſa tanquam cataplaſma mammis ſuperpoſita per octiduum, quotidiè tamen novam herbam recipiendo, optimè grumos lactis reſolvit, ſi ſimul internè omni manè ʒj. ſemin. anethi propinetur. Cicuta quoque contuſa & impoſita etiam lac grumoſum reſolvit. Si verò Eryſipelas conjunctū metuatur vel immineat, tunc internè ſambucina & diaphoretica moderata acidum abſorbentia cum ocul. ♋ vel liquore illo, quem D. Michael in praxi ſua patefacit, omne punctum abſolvunt. Externè ſequens Cataplaſma: ℞. rad. conſolid. maj. ſem. lini, fœnicul. pulveriſentur, & coquantur in lixivio tenui ad formam cataplaſm. de hoc externo conteſtari poſſum, quod maximè expertum & multoties probatum remedium ſit.

§. 51. De cœtero & hoc præcipuè notandum (1) quod externè in operatione Chirurgica Medicus ab oleoſis merè & pingvibus abſtineat, per hæc enim pori obſtruuntur, & ſic tranſpiratione inhibita tunc ad ſuppurationem & abſceſſum fit tranſitus. In cataplaſmate quidem ſeminis lini fuit mentio facta, hoc tamē, quamvis oleosū maximè ſit, adjectis reliquis corrigitur, & per coctionem penitus ferè abſumitur: (2) obſervandum, quod inflammata una mamma, rarò illa ad reſtitutionem perducatur, niſi prius altera ſana lacte ſuo ſit exhauſta; itaque ſpeciali providentia in hiſce caſibus opus erit; quia hæ inflammationes maximè periculoſæ ſunt;

citò enim, nisi in tempore præveniatur, in abscessus abeunt & hinc in ulcera sinuosa, interdum etiam in fistulas, plerumque, quando non in abscessus, in scirrhos degenerant, qui levi errore postea in cancros se vertunt.

§. 52. Porro ▽ ex mentha & cherefolio ℌllata mirificè inflammationi mammarum conducit; hinc ex card. bened. blandè & moderatè usurpata sudorifera sanguinis stagnationem egregriè tollunt. Non minorem laudem sequens in hoc statu meretur, quod specificum cum sit lac abundans coagulatum, etiamsi inflammatio superveniat, ut mammæ splendescant, resolvit. ℞. ▽ Herb. Ruperti Ligustic. ā. ℔j. ▽ nuc. virid. ℔ß. M. linteis Mixtura hâc inebriatis calidè semper mammæ foveantur, & hoc aridis linteis rursus madefactis continuetur.

§. 53. A Timæo & aliis Chymiatris magnis laudibus pro expertissimo invehuntur specula seu orbiculi lucidi pavonum, eò quod ex signatura cum mammis concordent, quasqodammodo repræsentāt, adeòque maximè proficua esse mammis reputentur. Verum an hæc hypothesis firmis innitatur fundamentis, in medio relinquo. De cætero hoc notatu dignum, quod, si manus in qua talpa viva tamdiu fuit detenta donec moriatur, mammæ in principio statim imponatur, inflammationes statim sistantur, quæ ipsa manus etiam cancrum occultum mammæ singulariter curare pro vero dicitur, de quibus videatur curiosissimus Paulinus tractat. de Talpa p. 133. Sic quoque simile exemplum ex Foresto eâdem pagina allegat ad mammarum inflammationem, ut si quis manu occiderit dextra XXV. ranas, manumque postea mammæ dolenti applicuerit, idque in principio, curabitur inflammatio sine suppuratione.

§. 54. Simon Jacoz centur. 4. observ. 89. refert quod mu-

mulier nobilis tumore mammæ ſiniſtræ præduro laboraverit, & quidem ex coagulatione lactis, irritis omnibus remediis ex arte per menſem integrum uſurpatis, curata fuerit ſumendo 3j. pulv. milleped. pptar. in jusculo; cujus pulv. eximiæ dotes ſæpe alii Medici cum patientibus obſervârunt, non ſolum in tumoribus ex lacte concreto, ſed quoque mammarum cancro, reliquarumque partium, quod etiam in quodam viro contigiſſe certo legitur, qui ulceribus multis profundis in multis corporis partibus affligebatur præcipuè vero in tibiis, à quibus brevi tempore curatus fuit ſumendo pulv. prædicti per 7. vel 8. dies alternos, præmiſſis tamen præmittendis.

§. 55. In iſtiusmodi ex regno animali petitis ſpecificis ex multis hiſtoriis ſequentia annotata leguntur, quod ex pulveribus animantium, præprimis vermium generibus in pulverem redactis ac aſſumtis derivationis novarum ſpecierum cauſæ ſimiliter alia mala dehinc extorta fuerint; videatur de his Borell. Cent. 3. Obſerv. 57. qui refert ex ſeptem pediculis comeſtis univerſalem phtiriaſin ortam. Sic multis encomiis deprædicandus Paulin. in Hiſtor. de Talpa pag. 93. diverſa exempla adducit. Ex pulvere nimirum Aſellorum ſpecialiter crebrius uſurpato alius vivus ortus, & à calculoſo cum lotio excretus fuit: cujus rei ſimile exemplum idem Excellentiſſ. Paulinus in medium profert. Abbas quidam immorigero fratri pœnitentiæ loco varia indixerat, nulla tamen ſequente emendatione, tandem novum & inſolitum quoddam pœnæ genus excogitaturus coquo monaſterii jubet, ut jusculo condimenti vice largius pulverem muris domeſtici immiſceat, idque petulanti fratri offerat; qui licet ab aliis quid in culina factum audiviſſet, riſu tamen jusculum illud hilariter ingerens, nequaquam ad frugem re-

rediit: miratus prælatus pertinaciam hominis, in carcerē eum truſit, lapſis aliquot hebdomatibus magnos in ventre cruciatus percepit, quos lacte & lacticiniis aliquando ſedavit, qui tamen paulo poſt atrocius recurrebant, tantarum moleſtiarum tandem pertæſus, obtinet neſcio cujus opera vomitorium, quo ſumto duos muſculos veros perfectos vivosque, poſt Abbati iſtius loci in patina oblatos, evomuit, nulla amplius moleſtia audita. Ex qua hiſtoria concludendum, ex iſtiusmodi pulveribus ſeminio adhuc turgidis ejusdem ſpeciei animalcula ſucceſſu temporis à calore nativo produci poſſe.

§. 56. Tale etiam de ſemine humano ventriculo immiſſo judicium ferendum, quod nempe mediante calore, plena hominis figura provenire poſſit, cujus hypotheſis Philippus Salmuth ſpecialem caſum centur. 3. obſerv. 94. ſequentibus circumſtantiis delineat. Juvenis quædam fœmina in civitate Imperiali infantem digiti longitudine, maximis cum doloribus ſummoque vitæ periculo per os enixa fuit, mortuum mulieres adſtantes ſcatulæ includunt & ſepeliunt: Ampliſſimus verò Senatus poſtquam hoc reſcivit, refodere infantem eumque in honeſtorum quorundam virorum præſentia aperire jubet, quem omnibus membris humanis tàm internis quàm externis verè conſtare cognoſcebant. Puerpera ea de re interrogata & examinata, conſtanter affirmavit, maritum ſemper cum illa per os coiviſſe, & ſperma in fauces immiſiſſe, ſibiq; puerperæ (ut natura planè ſimplici ſicque à marito facile perſuaſæ) primò quidem de alio modo coeundi nihil prorſus conſtitiſe, donec à vicina, qua cum de eo aliquando communicaſſet, aliter edocta fuiſſet, atque ita ſe à marito deluſam poſtmodum animadvertiſſet; maritus ſeu impurus potius ac ſceleratus nebulo (qui ſutor fuit) ſibi

sibi consulens & quidem ante infantis exclusionem militatum abiit, aliàs rogo fortassis impositus fuisset; sed hæc intercalariter.

§. 57. Redeamus ad reliqua medicamenta mammarum inflammatarum externa, ad quas phlegma ☉li purum sine acido aliquoties tamen cohobatum conducit. Item ▽ cicutæ, plantag. in specie sperm. ranar. Aſt ubi dolor intensior fuerit, tunc fol. Hyoscyami & paululum laudan opiati admiscentur: Sic ex expertissimis ad mammarum inflammationem remediis desumitur cataplasma ex farina fabarum cocta & c. oxycrato subacta.

§. 58. Si autem materia ad suppurationem redacta fuerit, alia exterius adhibenda remedia, simplicia quædam, nimirum succus fimi ovilli, cum ▽ agrimoniæ addito melle & butyro mistus, imponatur. Sic & ad maturandum & rumpendum tumorem sequens cataplasma conducit. ℞. rad. ireos nostrat. Cepar. sub cineribus coctarum ā ʒiij. fermenti ʒij. vitell ovor. num. v. ij. Axung. porcin. recent. non salit. ʒß. ol. rosar. farinæ fœnugr. sem. lini ā. ʒij. contundantur & misceantur pro Cataplasm. Felix Platerus hanc in mammis inflammatis & tumidis instituit curam. (1) sequenti ungvento pro inunctione. ℞. mucilag. sem. psyll. ʒß. boli armen ʒij. ol. rosar. acet. rosar. ā. ʒij. M. pro unguento, (2) die sequenti illud Cataplasma adhibuit, quod recepit farinæ hordei, lact. ol. chamomill. lilior. farin. sem. lini & fœnigræci portionem, & quia suppurabatur, sequenti die dolor simul augebatur, & febris succesit, pure genito sequens applicuit. ℞. farin. hord. fabar. ā p. j. sem. lini, fœnigr. à p. ß. flor. Chamomill. p. j. rad. lilior. & ireos ā ʒß. coque & contunde, addendo olei Chamomill. ʒij. croci ℈j. sequenti die reiteratum cum additione ficuum No. X. farinæ oryzæ ʒj. caulium malvar. coctar. & contusar.

tusar. unà cum lardi ʒvj. apparebat abscessus acutus, sequenti die cum pulpa cepar. coctarum applicata, sponte ruptus fuit abscessus: verum in istiusmodi patientium cruciatibus infernalibus breviorem viam Chirurgia monstrat; nimirum ut scalpello inciſorio ruptura procuretur. Sic hâc methodo dolores magis abbreviantur.

§. 59. Quod si abscessus apertus in fistulam degeneret, tunc illa quotidie bis cum decocto agrimoniæ eluenda, in quo parum aluminis & myrrhæ sint dissoluta; vel sequens applicetur. ℞. succi agrimon. ʒj. aloes myrrh. sarcocoll alumin. plumos. ā. ʒj. & incorporentur c. melle pro unguento ad fistulas mammarum.

§. 60. Tumores autem duri mammarum vel ex coagulo lactis vel sanguinis provenientes non semper resolvuntur vel suppurantur, sed sæpissimè ab acido proprio contracta materia coagulata in tumores duros & indolentes degenerant, & quidem si sint ex sanguinis grumis propter inflammationem in durati & coagulati, scirrhi oriuntur, sin verò ex lacte in glandulis mammæ coagulato & indurato scrophulæ seu strumæ appellitantur, interdum quoque extraordinariè ex suppressione mensium nimia scirrhosus tumor enascitur; istæ scirrhorum species non nisi cautè attingi debent, quia ut plurimum si non semper aliquid cancrosi subest; in ista duritie videndum ut materia resolvatur, minimè verò suasor ero ut suppurantia applicentur, nam his suppurantibus & emollientibus, nisi natura voluntariè succurrat, in cancros promovere solemus.

§. 61. Internè fumaria & ex vulnerariis medicamenta parata, item salia volatilia, sic ocul. ℈. myrrh. &c. conducunt. Externè præ aliis ammoniacum aceto solutum & in forma emplastri applicatum, id quod galbanum quoque

præ-

præstat, antequam autem emplastrum applicetur, suffitus ex vino & aceto silici vel lateri candenti affuso præmittatur; coagulum lactis quoque impedit emplastrum de galbano crocatum sic diachylori compositu, part. à qual. item emplastr. de Cicuta, Sennerti de ranis vigonis c. ℈. potenter enim hoc scrophulas & scirrhas mammarum dissolvit. Alius quidam Medicus hoc specialiter accommendat ceratum. ℞. Empl. diachyl. magn. de meliloto, ceranei ā. ℥j. Gumm. ammon. ✠ soluti ʒvj. M. & instar cerati tumori applicetur. *Foreſtus* quando à sanguine coagulato scirrhus provenit hoc magni æstimat. ℞. diachyl. gummati, unguenti dialthææ, unguenti agrippæ ā. ʒij. M. in igne liquefaciendo adde ammon. bdellii ladani in aceto dissolut. ā. ℈j. f. Empl. & tantæ fertur efficaciæ ut hoc per unam septimanam omnem duritiem resolvat, præmissis tamen universalibus.

§. 62. Si verò acidum illud cerrosinem arsenicalem acquirat, & in cancrum degeneret, tunc primitus se sub forma tuberculi parvi instar ciceris primum rubicundi manifestat, hinc livestentis & nonnihil nigricantis tuberculum hoc succesſivè incrementum capit, donec pulsatione & punctura in eodem se monstret, & tumor magnus evadat, ac cum venis circumcirca tumentibus & liventibus instar pedum cancrorum, unde etiam nomen & omen habet se prodat.

§. 63. Ad hoc tormentorum genus sequentia prosunt, & quidem ut supra mentionata alcalia, & ea quæ sanguinem atrum & combustum resolvunt, item lac in quo cancri fluviatiles combusti sunt; non absque levamine hæc potio quoque præscribitur. ℞. rad. bugloss. lichor. ā. ℥j. fol. agrimon. berrag. ceterach. & veronicæ ā. M ß. eaque species cum bullo gallinaceo, in colatura dissolve Cremor. ♃ ℥j. D. hoc jusculum conducit quoque Extr. helleb. nigri in s. dosi c. diapruno

ſolutivo datum ad ʒiiij. Externa multifaria nobis exhibent antidota ex ♄ confecta; inter cœtera tamen præſtantiſima contra cancrum exulceratum tutiſſimum auxilium adfert, arſenicum nimirum ſublimatum, hoc ſpecificum nonſolum cancrum ſed etiam lupum cſtiomenon, noli me tangere, fiſtulam, & reliquos hujus farinæ peſſimos primò die occidit & extirpat. Ad hæc famigeratiſſimus Medicus quidam retulit, Chirurgum & Medicum quendam cancroſum ulcus ſucco ſolani & plantaginis foventes in eo pulvere arſenici poſito, pannumq; hac miſtura madefactum ſuperponentes, hoc remedio multos ſanatos fuiſſe declarant; cura tamen ſimul habenda ne ſc. loci confinantes ea inflammatione occupentur, quod in hunc modum evitandum evitetur, nimirum partes vicinas unguento de bolo armena & ſucco ſolani illinendo; vel loco cancroſo lamina plumbea imponatur, quæ acidum abſorbet: Ubi autem arſenicum effectum quem deſideras præſtiterit (quod ex loci inflatione ſine tumore & mora deprehendes) dolor mitigandus & cruſtæ caſus procurandus erit, ſequenti emplaſtro. ℞. decoct. alth. malv. viol. ā ℔j. farinæ hordei ℔ß. bulliant ad ſpiſſitudinem quibus adde ol. roſac. viol. ā ʒiß vitell. ovor. nō. 2. croci parum M. non minori qualitate ſequens quoque gaudet. ℞. plumbi uſti & loti pompholygos thuris ā ʒv. ol. roſat. ℔ß. ceræ ʒiß. ſucci ſolani q. ſ. ad ungenti craſſitiem; ſummè proficuum dicitur fuligo furni medicamentum, ſive in ſubſtantia inſpergatur, ſive liquor ex ⊖. fuliginis eliciatur; Ulcera demum mundificentur & conſolidentur, & inſtar omnium poteſt eſſe ſolum ol. momordicæ vel ſolum vel cum balſamo ♎ commiſtum, & ſi hoc nimis acre eſſet, vitellis ovi temperandam vulneri vero ſuperponatur diachylon ſimplex.

§. 64. Reſtat nunc ut aliquid coronidis loco de lactatione læſa externa dicam: & fit vitio papillarum (1) quando ni-

nimis parvæ, hæ a. facile extrahuntur cucurbitatis impositi vel habetur aliquod instrumentum vitreum quo applicato oris suctu facilè papilla latens extrahitur. (2) quando prominentes quidem sunt non tamen benè perforatæ, tunc ampliores imprimis per suctum, aut per cetellos admotos, fiunt, aut si mulier quædam fortius sugat, sic aperiuntur meatus in papilla. (3) quando ulcusculis corripiuntur papillæ (4) quando fissuræ aut rimæ papillas infestant; Curantur a. papillæ rimosæ vel in antecessum ante partum sequenti remedio; nimirum ut duo calices è pura cera instar culicum glandium aut digitalium ut vocant (Finger-Huth) effingantur, tantæ scil. amplitudinis ut papillæ vacuum illud complecti possint, postea in illos caliculos immitte guttulas resinæ abietis liquidas & papillis admove, ita ut resina papillas tegere possit, ne vero calices decidant, thoracem lineum ad id artificiosè paratum adhibe, quod si quandoque calices decidant, & resina effluat, vel si illa absumatur novas guttas ut prius infunde, totis autem tribus vel duobus mensibus gestationis posterioribus, atque simul nocte & die gestandos cura, atque ita fieri ut neque mulieres illæ quæ papillarum malum antea sensissent, sensuræ in sequenti puerperio sint, neque illæ quæ prius non senserunt; fieri autem possit præsertim ut mulieres nobiles & delicatiores vel pp. se vel propter maritos mamillas ita resinosas tam longo tempore gestare, sufficiat ad minimum ultimo gestationis mense hoc observare; post partum verò sufficit ad papillarum fissuras ol. ceræ solum vel c. oleo ovorum mixtum, & penna calidè fissuris immissum, vel loco plurium sit sperma ceti recens in ol. lilior. albor. vel momordicæ solutum, addi potest parum croci & sachari; conducit quoque balsam. peruvianum; papillæ possunt muniri pileolis vel ex ligno perforatis, plumbo aut argento, aut nuces moschatæ ex cavatæ, qui interne emplastro stictico Crolli cum

prælaudato oleo momordicæ malaxato illiti, ante ſuctionem verò papillæ ▽ roſar. in quâ parum ſachari ſolutum, abluentur, ne infanti nigratus odor vel ſapor accedat & ita nauſea concilietur.

§. 65. Si vero hoc malum altius ſerpat ita ut potentiora requirantur remedia tunc ſequens unguentum applicandum. ℞. lytharg. ʒß. myrrh. ʒij. Alum. n. ʒj. quæ cum ol. roſaceo in formam linimenti ſublata, hoc demum papillæ inungantur: quod ſi ulcera contrahant papillæ, tunc convenientiſſima eſt ▽ Calcis vivæ, cui parum ☿ dulcis addi poteſt optimum erit remedium.

§. 66. Perſpecta nunc lactis humani materia, ductibus, ac illius vitiis; paucula ſubinde de illo, ut primo naturæ nutrimento. Subjecta quæſtione annectam: Quare homo ut ſana ratione præ aliis animantibus præditus, ſuos fœtus non proprio, ſed multifariè citra omnem neceſſitatem peregrino nutriatur lacte? Cum tamen naturalis ille humor, cui qui vitam debere non fatetur, & in parentes & in Deum impius eſt, intaminatus atque naturalis in ſuo prædicato maneat; ſummum ergò delictum committatur neceſſe ſit, tum contra naturam quam contra naturæ authorem, ſi fœtus congenito & connaturali ſuo nutrimento per alieni ſuggeſtionem defraudatur, id quod nec bruta adeò impiè faciunt. Opponant licet, lac ejusdem ſpeciei eſſe & ſimile conveniens temperamentum ac eundē lactationis terminum, deeſt tamen ultimus illæ ſpecialiſſimæ proprietatis character, qui fœtui per lac communicatur; Sic enim lac ex materia chyloſa ſanguini conveniens, in ſanguine vita, in anima vita, quid impediet, quo illæ ſpecialiſſimæ proprietates ex anima per chylum ſangvificantem in lac & hoc in alimentum emanent, de quo requiſito Camertes in Jalium Solinum c. 16. ex Phavorino eleganter ſcribunt, ubi ajunt, nonne

hâc

hâc quoq; in re ſolertia naturæ evidens eſt, quod poſteà quàm ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit, advenante jam partus tempore in ſupernas ſe partes profert, & ad fovenda vitæ atq; lucis rudimenta præſtò eſt recens natis notum ac familiarem, imò de jure naturæ debitum victum offert? quam ob rem non fruſtra creditum eſt, ſicut valeat adfingendas animi atq; corporis ſimilitudines vis & natura ſeminis non ſecus ad eandem rem lactis quoq; ingenia & proprietates valere: & ulterius, quod malum igitur ratio eſt, nobilitatem iſtam nati hominis, corpusque & animum benigni ingenitis primordiis inchoatum, inſitivo degenerique alimento lactis nimirum alieni corrumpere, præſertim ſi iſta quæ ad præbendum lac tunc adhibebitis, aut ſerva aut ſervilis aut ut plerumque ſolet externæ aut barbaræ nationis; Si improba, ſi informis, ſi impudica ſi temulenta eſt, patiemurne igitur infantem hunc noſtrũ pernitioſo contagio inficie & ſpiritum in animum ducere atque in corpus ſuum ex corpore & animo deterrimo? Id herele ipſum eſt, quo ſæpè numero miramur, quosdam pudicarum mulierum liberos, parentum ſuorum neque corporibus neque animis ſimiles exiſtere; id quod Hieronymus Bock in ſuo Herbar. p. 4. c. 5. teſtatur; alitum, dum inquit, ſequi nutricis naturam; quare qui matris lacte pueri aluntur eos jam non ſolum conſvetudo confirmat; videri autẽ non modo nutrimentum id naturã infantibus præparare, verum etiam facultates quasdam naturales quibus eò utantur, ab initio protinus contuliſſe: id quod ipſum quoque nomen lactis indigitat; Lac enim pro ſucco materno, quo animantia in univerſum nutriuntur, à lanciendo, teſte Calepino dictam eſſe deducitur; eò quod admotis mammis infantes alliciantur, hinc ſequitur, quod illa, quæ lactat magis eſſet dicenda mater, quam illa quæ genuit; ſic ſupra citati Camer-

tes & Aul. Gellius ita concludunt: Quid eſt enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus? peperiſſe & ſtatim à ſeſe abjeciſſe? aluiſſe in utero ſanguine ſuo, neſcio quid, quod non videret? nec alere ſuo lacte, quod videat jam viventem? jam hominem? jam matris officia implorantem? an putas naturam fœminis mammarum ubera, quaſi quosdam nævulos venuſtiores, non liberorum alimentorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe? Sic enim pleræque prodigioſæ mulieres illæ fontem eum corporis ſanctiſſimum, humani generis educatorem arefacere & extingvere cum periculo quoque averſi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis ſibi inſignia devenuſtant.

§. 68. Pudeat itaque vos nutrices, ac multò magis conſiderate quod in hâc ſolertia natura aliam viam demonſtraverit, & illius opifex ſanguinem in penetralibus veſtris hâc de cauſa finxerit, adventante jam partus tempore, chylum ſanguiferum in ſupernas partes aſcendere; ut ad fovenda vitæ ac lucis rudimenta præſtò ac recens ſit, notum ac familiarem victum offerendi; ad quod Officium S. Ambroſius omnes puerperas l. 1. de Abrahamo Patriarcha c. 1. adhortatur, in illum textum, quis annunciabit Abrahæ, quod Sara lactet filium? ubi provocat fœminas meminiſſe dignitatum ſuarum & lactare filios ſuos, hancque eſſe mulieris gratiam hunc honorem, quo ſe propriis commendent viris, denique eos plus amare filias ſolere, quas ipſæ mulieres lactaverint uberibus ſuis, ad quod genui officii etiam Lactantius dum de formatione hominis c. 12. ſcribit. nutrices remittit.

§. 69. Sic mulier ut Varro interpretatur à mollire dicta videtur eſſe, immutata & detracta litera velut mulier, cui ſuſcepto fœtu, cum partus appropinquare jam cœpit, turgeſcentes mammæ dulcibus ſuccis diſtentur, & ad nutrimenta naſcentis fon-

fontibus lactis fœcundum pectus exuberat, nec enim aliud docebat, quam ut sapiens animal à corde alimoniam duceret, idque ipsum solertissimè comparatum est, ut candens & pinguis humor teneri tudinem novi corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos & dentibus instruatur ac viribus roboretur; Id quod Galenus l. 1. de Sanitat. tuenda c. 7. agnovit; at sanguis quidem, inquit, dum in utero gestamur alinos constat, ex sanguine verò (tamen adhuc imperfecto) lac gignitur, exiguam in mamillis mutatioem adepto, quare qui matris lacte pueri utantur, ii jam non solum consueto, vreum etiam maximè proprio alantur alimento, videtur autem non modo nutrimentum id natura infantibus præparasse, verum etiam facultates quasdam naturales quibus eò utantur ab initio protulisse ut Clariss. D. Greiselii verbis utar.

§. 70. E diverso quam speciosas virtutes contrahent filii vel filiæ à peregrina aliqua nutrice, magis dicam meretrice, quam generosus spiritus in tali filiola nutrito à lacte in stabulo prope hircum aut equos facto generabitur? imprimetur profecto alicui infanti pulcherrimus character, naturalis scilicet omnium linguarum accentus, quia lacte omni lingui educatus est; Et ita si scortum virtus esset, fortasis nationum variarum virtutes contrahere, nonne quoque virtuosam illam fœminam appelles, quæ charitatem in omnes dies exerceet, quia hoc respectu omnium virtutum charitas omnium mater est; Sanè istius modi prostibula flagitiosissima magis bestiarum & monstrorum nomina invenerant, nec verentur, quod DEVS qui ipsamet sanctitas est impudicitiam omnisq; in continentiæ crimina maximè detestatur atque horreat, & ad vindicanda ea sæpe numero supremi judicii tempus non expectet, sed in præsentia lue gallica pustulis venenosis & aliis justis pœnis luat atque coerceat: delectus itaque nutricum habendus, cujus re-

requisita inter alia hæc erunt, (1) ut sit mediocris habitudinis (2) annum neque vigesimum infra agat, neque quadragesimum infra, & eam quæ 30. proprior fuerit tanquam meliorem pro ferendam. (3) magnitudinem corporis inspiciendam esse, quæ justa esse debet, parum tamen refert, modo bonæ temperaturæ sit (4) ut magna ex parte papillæ justæ sint constitutæ, nec nimis longæ & magnæ, quæ suctionem nisi adductis in arctum labiis, & consequenter linguam in angustum nimis actam ad deglutiendum impediant, nec parvæ, quæ infanti cupienti apprehendere, sæpè elabuntur, nec teneri optimè queunt, quare frustratione illa elusus infans & inanem fructū exercens nonnihil maxillas ostenderit, & hoc modo nimium sugendo frustra laborârit, & nihil proficiente tamen humoris aliquid eò, qui prætenaturales sæpe quosdam tumores causam dat, solummodo attrahunt, & plerumque ex gravi hâc inani suctione maxilla infantulorum quasi loco motæ apparent. (5) quamvis mammatæ præ aliis laudentur ex his tamen vel nutrix vel infans incommodum aliquod haurire possunt, præprimis ob nimiam lactis copiam, obtabilius tamen semper sit, nutricem copia quam lactis inopia laborasse, promptius enim esset demere aliquid, quam paucitati ac defectui subvenire.

§. 68. Paucis denique attingamus, quali lacte benè constituta nutrix gaudere debeat, (1) mediocritas inter tenuitatem & crassitiem, quod ex instillato in pollicis unguem deprehenditur, de fluxu quippe inde cito nimis tenuitatem, longa mora ne vel defluens quidem spissitudinem æquo majorem coargut, (2) gustus ejus unà ac odoratus suavis ut habeatur, ut nec amaritudine aliqua aut acore aut acrimonia aut salsedine gustum videlicet & suavi tantummodo dulcedine afficiat. (3) nares peregrina aliqua qualitate feriat (4) visu candidum ipsum.

ipſumque ſibi particulis omnibus æquale, nulla nec faſcedine nec virore nec livore maloque colore alio vel variis quibusdam interdum diverſique coloris & ſubſtantiæ diſcurrentibus lineis ac veluti ſtriis infectum; denique lactis qualitas, ut ſeroſæ partis tantum, quantum caſealis ſit requiritur; cujus experimentum hoc, vitro ampullave excepti, myrrhæque aut coaguli modico addito permixtique digitis concreſcit lac ſeparatæque diſcernuntur partes ſi neutra nec vincat nec vincatur ſuperante vero ſero, tenuitatis vitium caſeo, craſſitudinis: hisce de lacte nutricum requiſitis obſervatis, bonitatisque ejus ſcrutiniis formatis, fallax tamen in pluribus eſt, quod ex conſiſtentia coloribus ſapore, pinguedine &c. judicare intendunt practici; cum præter hanc inquiſitionem inſenſilia alia ut plurimum ſint vitia, quæ lactis miſæclam corrumpunt, id quod non tantum in feminibus morboſis cum lacte transplantatis, ſed in ſpecie quoque vitiis moralibus per lac inſenſibiliter communicatis manifeſtum eſt, adeò ut revera lactis conditiones & vires ex ſanitate hominis, vita ejus, & cibi magis metiendæ ſint.

§. 76. Quamvis mulierculæ & obſtetrices prius medicamentis recens natis infantibus parum ſachari penidii aut ℥ amygdalar. dulc. recent. expreſs. vel quod melius parum Syrupi de Cichorio c. Rhebarbaro vel de melle Roſato ſolutino per os inferunt, eum in finem ut meconium ſeu nigricans illud ſpiſſum excrementum, quod infantes geſtationis tempore in inteſtinis coacervant, ex ſtomacho & inteſtinis abſtergatur & educatur, alias retentum mille malis infantes mulctat. In hoc tamen impingunt, putantes coloſtrum eſſe ſimul infanti nocivum, falsò vero inducti principio, nam natura ut provida mater poſt partum in ſalutem editi fœtus non ſtatim lac pinguius aut ſpiſſius ſubminiſtrat, ſed coloſtrum ſeu ſeroſiorem

rem tenuiorem Chylum præmittit, ut hic, quod medicamento abſterſivo non fuit abſolutum & evacuatum, ſeroſitate ſalina blandè ſtomachi mucum abſtergat, inteſtinorumque ſub geſtatione relicta recrementa expurget, ac virtute diuretică organa urinaria probè eluat, ut ita ſupervenienti ſucceſsivè alimentoſi lactis digeſtio facilitetur, & ejus corruptio facillimè impediatur, cum revera Coloſtrum tale ſit alimentum medicamentoſum. Peſſimè ergo conſulunt matres recenter natis, quæ nutricibus robuſtis & obeſis, aut quæ jamjam aliquando lactarunt, tradunt, eosdem à quorum lacte butyroſo & caſeaſo nimis tenellus Stomachus gravatur, ac cruditati acidæ lactisque coagulo promptisſima occaſio & conſequenter Epilepſia & alia mala ſubminiſtrantur; Hæc tamen cautela eâ obſervanda, quando matres quædam cacochymicæ, & inſpecie noſtrates ſcorbuticæ, quos in utero feliciter geſtârunt, & optimè lacteo nutrimento fœtus aluerunt, facta verò excluſione poſtmodum citra periculum lactare ipſæ nequeunt, quin potius, ſi eosdem ſanos conſervare velint, conductæ ad id nutrici comittere neceſſe habeant, qui alias ſub proprio matris lacte, eò nempe ex quo ipſæ partes corporis primò coaluerunt, adeoque iisdem appropriatisſimum ſit; Si vero neceſſitas aliud expoſtulet, cui, cum ratione omnia etiam matres concedere & ſubmittere cogantur, ſingula quoque tempori & DEO committenda eſſe, unusquisque judicabit.

FINIS.

41°
24c
H91
1697